Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

503

No 1227.



BIBLIOTH. REGIA HAFNIENSIS

= L. N. 978

M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

CARMEN CONTINENS PARAPHRASIN EPIGRAMMATIS VIRGILIANI, DE LITERA PYTHAGORICA Y:

Scriptum

A PETRO IOHANNIS ASMINDERODENSI DANO.

Et in illuſtri Schola Roſchildenſi cum ſe inſtituendæ iuuentutis munere abdicaret, recitatum xix. Septembris Anno 1577.

Σὺν θεῷ πονητέον,

VVITEBERGÆ

Typis Clementis Schleich & Antonij Schön.

Virtutib: & eruditione clarissimo viro M: Andreæ Christierno populari suo chariss: amicitiæ ergo dedit Pet Joan

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

EPIGRAMMA
IN LITERAM
PYTHAGORAE.

Eſt duplex hominum vitæ via, lata ſed vna
Molle perexiguo tramite ducit iter.
Luxus iners comes eſt, Ignauia, blanda Voluptas.
Paupertas ſequitur, vitaq́ laudis inops.
Altera virtutis ſummam contendit in arcem,
Dignaq́ iucundæ præmia laudis habet.
Difficilis labor hanc, longusq́ in tramite ſudor
Anteit, at requies deniq́ grata venit.
Vos igitur iuuenes virtutis amore labores
Vincite, nam vendit dona labore Deus.

M. Martinus Henricus.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

NOBILI ET EXIMIÆ INDOLIS PVERO SIVARDO BAECK, SPLENDORE GENERIS ET VIRTVTE præſtantiſsimi viri LAGONIS Bæck Domini de Förslöff, & Regij veteris ſedis Epiſcopalis Roſchildiæ præſidis filio, Mecœnati ſuo plurimum colendo.

S. P. D.

PIVM eſt, mi Siuarde, & omni laude dignũ, patris tui optimi & prudentiſsimi viri conſilium, quo, te indole eximia puerũ, à primis, quòd dicitur, vnguiculis, inſtitui artibus illis curauit, quibus tenera ætas ſolet, cùm ad humanitatem informari, tum ad munerum eccleſiaſticorum & ciuilium adminiſtrationem præparari. Teſtatur enim hoc facto, ſe verbo Dei obedire, & ad eius normam, tanquam Lydium lapidem, rationes actionum ſuarum examinare, idq; in primis ſpectare, vt gloriam Dei illuſtret, & communi Eccleſiæ, & reipublicę vtilitati ſeruiat. Pſalmo 2. precipitur eos doceri, qui multitudinem legibus & diſciplina cohercere, & in officio continere debent. Erudimini qui iudicatis terram. Paulus ad Epheſeos 6. Parentes ita vti patria poteſtate iubet, vt liberos ſuos ἐκτρέφωσι, in diſciplina & doctrina domini. Fieri enim non poteſt, vt hæc hominum ſo-

cietas, quantumlibet diuitijs & potentia florens, diu incolumis duret: niſi ſint qui pietate conſpicui, ſapien-tia excellentes, & rebus gerendis apti, plebem agre-ſtem & incultam, exemplo ſuo trahant ad verum Dei timorẽ, à ſceleribus metu pœnarum deterreant: & rectè factorum præmijs, ad honeſtarum legum obedientiam inuitent. Multi potentes ἄμουσοι καὶ τῆς τῶν παίδων νουθεσίας ἀπόστροφοι, quia exiſtimant imperia, absque liberali-um ſcientiarum cognitione, intelligentia politica regi & adminiſtrari, tum que in ijs ſunt, rei militaris peritia de-fendi, firmari & muniri poſſe: liberos ſuos non adhi-bent ad diſcenda pietatis & artium elementa. Quin ſa-tis inſtructos fore, ad res præclare ſiue domi ſiue mili-tiæ gerendas, arbitrantur: ſi eos, vt primum ex ephe-bis exceſſerint, ablatos à ludo & diſciplina, in exteras nationes, experientiæ gratia, vel vt linguas peregrinas callere diſcant, ablegarint. in his tanquam columini-bus, & fundamentis firmis, ſalutem & præſidia regno-rum, tutò ſatis collocari putant. Næ illi intelligendo faciunt vt nihil intelligant: digni, qui ſibi, non alijs conſulendo præpoſtere, meritas incurrant pœnas. Non enim ſciunt quam verè dictum ſit à viro ſa-pientiſsimo: parua ſunt arma foris, niſi eſt conſilium domi. cui illud latini lyrici conſonat: vis conſilij expers, mole ruit, ſua. item illud ἓν σοφὸν βούλημα πολλὰς χεῖρας νικᾷ. Alij ſuis Authores ſunt, vt literis paululum tin-gantur, ne omnino rudes imperitis dominari videan-tur: néuè ipſi cæci faculam præferre cæcis iudicentur. latine loquentes intelligere, ſummam exiſtimant eru-ditionem: ideoque vt primum hoc aſſecuti putantur, à liberalibus ſtudijs vixdum inchoatis, ad alia neſcio

quæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

quæ parerga, quæ nulli ferè in communi vita vſui ſunt, à parentibus auocantur. Hi, vt de communi hominum ſocietate malè merentur; ita de re omnium maxima, liberorum educatione, cum Medea peruerſè iudicant: quæ apud Euripidem inquit.

χρὴ δ' οὔποθ' ὅς τις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ,
παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς. id eſt.
Nequaquam oportet, qui vir eſt intelligens
Exactius ſapiant, docere liberos.

Ab his omnibus diſſentire patrem tuum, genere ſapientia & virtute clariſsimum, nemini non qui ipſum nouit perſpectum eſſe ſcio. Etenim ipſemet puer, à ſuis ad diſcendum adhibitus, animum ad ſtudia literarum adiunxit: quarum vt guſtum aliquem percepit, tanto iuuenis earum amore flagrauit, vt doctos in Gallia & Germania viros adiret, à quibus in omni doctrinarum genere liberaliter inſtitui poſſet. Cumq; nondum per ætatem vitæ ſuæ modum habere sciret: traditus eſt in diſciplinam à parentibus ſuis, pio, docto, & honeſto viro, M. FRANCISCO ANDREÆ: canicie iam & annis verendo, Canonico Roſchildenſi digniſsimo, meo fautori & mecœnati, mihi perpetua obſeruantia & gratitudine colendo. Hoc modo ſtudia ab ineunte ætate inſtituens, & doctis aſsiduo viris operam dans: cum vera pietate & bonis moribus coniunctam eruditionem liberalem acquiſiuit: qua nihil optabilius, nihil præſtantius aut conducibilius homini contingere poſſe, omnes omnium temporum ſapientes iudicauerunt. Studijs fœliciter abſolutis, domum ad ſuos reuerſus eſt diſciplinis varijs

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

& rerum multarum experientia inſtructus & ornatus: quod meritò maximam illi apud omnes fauorem, gloriam & laudem conciliauit. Ac priuſquã magiſtratu & honoribus functus eſt, aut animũ ad capeſſendam remp: adiecit, exerente ſe ſtudiorum humaniorũ fructu, præ multis aliꝭs, qui minus literis imbuti erãt, pietate in Deum, in maiores reuerentia & vera animi ſubiectione, erga omnes iuſtitia, beneuolentia & integritate in æquales, in egenos beneficentia, probitas eius elucere, in vitæ priuatæ moderatione cæpit. Poſtquã vero eum in maturi iudicij virum ætas extuliſſet, & rerum vſu multiplici excultum firmauiſſet, vt boni in repub: ciuis munere cum laude tueri poſſet: nihil prius neq; potius ſibi habendum exiſtimauit, quam vt vniuerſorum commoda & ſalutem publicam, veris præſidijs munire, firmare & ſtabilire ſummo ſtudio incumberet. ſecutus in eo conſilium Menœcei, qui apud Poetã vetuſtiſsimum Euripidem in Phœniſsis inquit.

εἰ γὰρ λαβὼν ἕκαστος ὅ, τι δύναιτό τις
χρηστὸν διέλθοι, τοῦτο κ' εἰς κοινὸν φέροι
πατρίδι, κακῶν ἂν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
πειρώμεναι, το λοιπὸν εὐτυχοῖεν ἄν. id eſt.

Si ſumat vnusquisq; quod poteſt bonum,
Id conferat in patria commoda ſua,
Et ſedulo iuuet ſalutem publicam
Ingens ſequetur ciuibus vtilitas.

Multos enim iam annos opera eius vtitur, & læta fruitur emolumentis laborum reſpub: tutelę & defenſioni eius ſubiecta, quos inſumit in agendis cauſsis forenſibus, iudicandis & decidendis controuerſijs, componendis litibus priuatis & publicis, deniq; in omnibus

vitæ

vitæ negocijs, quæ ſine literarum beneficio, ne attingi quidem ſapienter, nedum fœliciter confici, aut expediri ſalutariter poſsint. Quare cum te, Siuarde, hanc à primis iam annis viam inſiſtere, hoc modo puericiam tuam excolere, his literis humanioribus iuuentam imbuere, & ijſdem quibus ipſe veſtigijs, eniti ad ſummum gloriæ & dignitatis faſtigium, pater tuus velit: digna eſt eius in te omni prædicatione voluntas, dignum præclara laude conſilium & prudentia, qua reliquos imperitos rerum homines vincit, & longiſsimo poſt ſe interuallo relinquit. Tuarum etiam partium erit nihil omittere, quod ad ornandam ſpartam, ad quam pio conſilio vocatus es, pertineat: ſed quantum ſtudio contẽdere, & animo conniti potes, incumbere, vt ſpem illam quã de te tui conceptam fouent, non modo non fallas: verum etiam iuuante Deo & proſperos in ſtudijs ſucceſſus largiente, ſuperes. In quod te animum & oculos defixos habere, licet dubitare non poſsim, præſertim cum ductu & auſpicijs clariſsimi viri M. DESIDERII IOHANNIS FAASS, Præceptoris tui chariſsimi, in literarum ſacraria ingredi, & recta ad gloriam & decus, via, eiuſdem miniſterio & veluti manuductione tendere cæperis: tamen ceu σπεύδοντα ὀτρύνων, vt prouerbio dicitur, quæ mihi in mentem veniebant, & ad alacritatem in honeſto propoſito pergendi, acuendam faciunt, quantum res patitur, tibi ſubijcere viſum eſt. Duo ſunt genera eorum, quibus conuenit quoad fieri poteſt, inſtitui teneram ætatem, quæ literis deſtinata, vel ad docendam Eccleſiam, vel ad certas in repub: functiones cum laude obeundas expectatur. Vnum, & id quidem maximi momentis quo quid ſit Deus, & quomodo coli velit docetur.

Al-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Alterum, neq; id in poſtremis ducendum,quo hæc & quę circa ipſam verſantur,vita,partim munitur & conſeruatur; partim, vt concinno quodam decore niteat, ornatur & expolitur.Hoc Philoſophiæ,ſeu ſcientiæ cuius ſemina mentibus humanis indita â Deo ſunt, nomine continetur: illud Theologiæ ſeu ſapientiæ cuius ſolus Deus eſt author, quæq; ſupra captum rationis humanæ poſita eſt,appellatione indicatur.Eius diſcendæ, vt primum de pietatis ſtudio agam, omnibus cuiuſcunq; ætatis, ordinis aut loci, tanta neceſsitas incumbit:vt qui eam vel neglexerint oſcitanter, vel affectatè contempſerint, animæ ſalute excidere,& pœnas ſibi accerſere temporales & æternas,veriſsimum eſſe conſtet. Nam cum Deus pater generi humano cœlitus de filio concionetur; hic eſt Filius meus dilectus, quo delector,hunc audite:omnibus ſeueriſsimè ſacrarũ literarum & verbi diuini ſtudium præcipit,ac de ætate tenera expreſſe â Paulo dicitur poſteriore ad Tim. *3*, Ab infantia ſacras literas noueris,quę te poſſunt erudire ad ſalutem. & in priore, capite *4*, commendatur Timotheus quod in ſermonibus fidei ſit innutritus. Et Pſalmo *119* inquit Dauid. qua re mundam facit adoleſcens viam ſuam ? cuſtodiendo ſermones tuos.His moueri decet tenellos animos, qui literas diſcunt: ne contemptu doctrinæ religionis & pietatis Deum offendant, & pœnas incurrant. Ordinatione enim Dei æterna & immutabili ſancitum eſt,vt Deo præcipienti obtemperetur, vel non obtemperans puniatur.

Neq; reliqua artium ſtudia, ſine pietatis excercitijs & cognitione Dei fœlices ſucceſſus habent; imò plerumq; accidit,vt cum diu ſe in diſcendo defatigauerint

rint

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

plerumq; accidit, vt cum diu ſe in diſcendo defatigauerint, qui Deum conatibus benedicentē neglexerint, nihilo plus proficiant, quam qui rerum ſecuri, ignauum egerint otiū. Adeo ſine pietate & ſtudio doctrinæ cœleſtis, labores omnes irriti ſunt & inanes: quibus frangi & conſumi, ineffabilis eſt miſeria & iactura incomparabilis. Sit igitur hoc diſcentibus perſuaſum, tum demum ſe in ſapientia & eruditione profecturos, & labores qui in diſcendo ſuſtinentur fœlices fore, vtiles Eccleſiæ & reipublicæ: cum ſummo ſtudio & cura in eo incumbant, vt veram de Deo doctrinam, quam immenſa bonitate certis ſcriptis cōprehenſam, Eccleſiæ tradidit diſcant: & hanc in ſalutis ſuæ negocijs & totius vitæ curſu, tanq; certam actionum & conſiliorum regulam, ne à vero deflectant ſæpius ſibi proponant. Memores dicti Solomonis, quod præpoſteram diſcendi curam emendat: & viam ad quamcunq; ſalutarium rerum cognitionem rectam ſternit. Initium ſapientiæ timor Domimini. Quod vero ſe multi à cognitione Catecheſeos & elementorum pietatis abduci patiantur, nec ſibi in ijs diſcendis elaborandum putent: quod exiſtiment id ſtudij ſolummodo ad eos pertinere, qui populum erudire aut ſcholis pręeſſe debent, vehementer errant, eaq; ipſis opinio minuenda eſt & animis eximenda. Nam cum omnes ad reddendam Deo fidei ſuæ rationē obligati ſint: nec cuiq; aditus ad Deū niſi ipſum ex verbo ſuo cognouerit, pateat: facilè quiſq; intelligit quanti referat, ſingulos nō obiter tantum aut defunctoriè: ſed diligenter & accurate eius doctrinę initia diſcere, quam ſecum afferre ad tribunal Dei & extremū iudiciū tenentur. 1. Pet. 3. Eſtote parati ad reddendā rationem ſpei eius quæ in vobis eſt. Iohannis 17. Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te verum Deum & quem miſiſti Ieſum eſſe Chri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

ſtum. quare, tametſi aliùs alijs ſtudijs deditus ſit, quorum vſus in hac vita neceſſarius eſt, neq; omnes ex profeſſo Theologi futuri ſint, qui literas diſcunt: tamen qui Chriſti familiæ adſcribi volent, & eius regni cui ipſe caput eſt, ſubditi cenſeri cupient, obedire ei neceſſe habent, & quam ille præſcripſit legem non ignorare oportet. Qui ſecus faxint, alijs intenti rebus: iram regis ſui ignem conſumentem, & pœnas ineuitabiles expectẽt. Reliquę artes quibus hic vitæ ſtatus indiget: etſi ad doctrinam cœleſtem, foliorum quandam ad fructus, rationem obtineant: tamen, cum & illæ ſint ad cognitionem iucundæ, ad vitam fructuoſæ, & humani ingenij exercitatione non indignæ, vtpote quæ ornamento ſunt omnibus, qui in eis deſudant: meritò & illæ ſunt magnifaciendæ & ſummo conatu diſcendæ. Nam ea quæ in homine ſumma ſunt, & quodammodo Deum archetypũ referunt, expoliunt, & quaſi abſterſa rubigine illuſtrant & nitidiora reddũt. Etenim ſi deſiderãdo quæ vera bona ſunt diſcimus, quid artes valeant in ijs cernere licet, qui diſciplinarum rudes, pecudũ ad paſtum abiectarum, quám hominum ſimiliores viuunt. Hi nihil iudicio nihil ratione valent: viuentes & videntes mortui ſunt: vigilantesq; ſtertunt *nec ſomnia cernere ceſſant, Sollicitamq́; gerunt caſſa formidine mentem*, vt Poeta inquit. Moribus ſunt agreſtibus & inhumanis, in eoq; ſitam eſſe fœlicitatem omnem ſtatuunt; ſi cupiditatibus obſequi, voluptatibus indulgere, & quo impetus cæci abripiant incautos, ferri impune liceat. Sermone ſunt horrido & inculto, charactere malè natura & conſuetudine compoſitæ mentis: ex quo plus rixarum & contentionis quam monitorum ſalutarium prouenire experientia docet. His malis Philoſophia & liberales artes medentur. Sui ſiquidem ſtudioſis authore Seneca, tria

hæc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

hæc adferunt. I. Senſum communem, id eſt, rectitudinem iudicij formant: adeo vt qui eruditione cæteris antecellant, negotia penitius introſpicere, & dexterius quam alij qui hac decernendi norma deſtituantur, de omnibus in vita communi rebus iudicare poſſunt. II. Humanitatem præſtant, id eſt, morum, ſi qua eſt animis ingenita, feritatem eximunt: & mitiorum virtutum manſuetudinis, beneficentiæ & candoris decore, quod heſpero & lucifero formoſius eſt exornant. Vt in verſibus dicitur: *didiciſſe fideliter artes, Emollit mroes nec ſinit eſſe feros* III. Efficiunt congregationem id eſt, ſtudium fouendæ ac tuendæ concordię in repub. & Eccleſia amantibus literarum ſuggerunt. Sunt enim hominum eruditorum conſilia συμβιβαστικὰ, id eſt, huc ſpectant vt pacem & concordiam ſtabiliant, diſsipationes harmoniam humanæ ſocietatis turbantes auertant, & honeſtas congregationes ne rixis & diſſenſionibus diſtrahantur, conſeruent. Hæc literarum humaniorum commoda manifeſta, quamquam omnes mouere debent, vt eis inuigilent ſerio: tamen eos præ cæteris ad ardens ſui ſtudium exitare debent, qui in familijs illuſtribus nati, Dei propemodum in terris imaginem referēt, & numinis diuini vices ſuſtinebunt. Nam cum hi reliquæ hominum multitudini, quæ infirmior eſt quam vt ſeipſam regere poſsit, præeſſe debeant, & publica gubernationis conſilia moderari: præ cæteris ipſi liberi, liberalium artium cognitione, pectora ſua inſtruere & exornare decet: vt animos imperio dignos ad officium publicum adferre, & cur ad tam altum faſtigium euecti â Deo ſint intelligere rectius poſſint. Quod qui facere ſtudent, verius familiæ ſuæ ſplendorem & nobilitatis titulos illuſtrabunt ac tuebuntur: quam

qui maiorum virtute fulti nihil decoris auiti, ſuapte induſtria æmulari curant. De quibus Poeta canit. *Perit omnis in illo gentis honos cuius laus eſt in origine ſola.* Annitantur & ideo maiore cura, vt pectora ſua multiplici liberalium artium cognitione imbuant, qui à parentibus illuſtribus orti ſunt: quod ijs præ reliqua hominum multitudine fortuna opibus indulſit, quas in hunc vſum conuertere, laudi ponendum eſſe nemo nõ qui ſapit cenſet. Opus eſt enim ad præclaram eruditionem comparandam ſumptibus & impenſa non exigua: qua qui carent, magno ad hanc laudem præſidio deſtituti ſunt. Notus eſt verſus Agathonis, ab Ariſtotele *5.* Ethicorum citatus de mutuo artis & fortunæ amore: τύχη τέχνην ἔστερξε καὶ τέχνη τύχην, id eſt, *Fortuna amat artem, ars fortunam.* Et multi verum eſſe experiuntur quod Satyricus inquit: *Haud facile emergunt quorum virtutibus obſtat res anguſta domi.* Hæc ad te mi Siuarde liberius ſcripſi, fretus candore & ingenti tuo ergo artes & virtutem amore, non quod à me vel ad literas vel ad ſapientiæ & honeſtatis ſtudium extimulari, admodum neceſſarium eſſe credam, ſed potius vt ad optima tendenti gratularer: & honorifica familiæ tuæ illuſtris mentione te ad pergendum, vt bene cæpiſti, accenderem pro virili. Cum enim propagari ex parentibus in natos ſemina virtutum conſtet: ea ne degenerent, legibus & doctrina excolere, diſciplina expolire & honeſtis exemplis exuſcitare ab re non eſt alienum. De Telemacho Vlyſsis dicitur: *inſtillata tibi patris virtus.* Et Andromache apud Virgilium de Aſcanio Ænæam interrogat. *Ecquid in antiquam virtutem animoſq́; viriles: & pater Aeneas & auunculus excitat Hector.* Quibus vtrunq; indicare ſapientes voluerunt: præſtantiam indolis

&

& Heroicæ naturæ ſemina liberis generatione communicari: & eadem exemplis maiorum ad imitationem ne deficiant exuſcitari oportere. Tibi verò non ſolum eſt pater, vir nulli pietate, iuſtitia, integritate & beneficentia, id eſt: vera nobilitate ſecundus, præfectus Regius & præſes veteris ſedis Epiſcopalis Roſchildiæ: aut auunculus ſapientia & genere excellens, Senator & Cancellarius inclyti regni Daniæ modernus: verum etiam auus paternus, multos annos Theſaurarius & Quæſtor in Aula duorum laudatiſſimorum Regum Daniæ, Chriſtiani tertij & filij eius Friderici ſecundi: quorum virtute accendi te oportet, vt eorum veſtigijs inſiſtas. Quod ſi feceris, procul dubio, nouæ & amplioris nobilitatis inijcium & illuſtrioris virtutis exemplum poſteris es futurus. Vetus enim hoc dictũ eſt: ἐπὶ μεῖζον ἔρχεται τῆς εὐγενείας τοὔνομα τοῖσιν ἀξίοις. *Fit celebrius nobilitatis nomen apud eos qui digni ſunt ea.*

Cur autem tibi, has tenuis meæ venæ & craſſæ vt dicitur Mineruæ primitias dedicauerim, hæ ſunt cauſſæ. Vna vt gratitudinem meam erga parentem tuum optimum virum & de me bene meritum teſtatam faciam. Multos enim annos ſcholæ Roſchildenſis columen fuerat, & in ea tam docentes quàm diſcentes vero amore complexus eſt: in quibus cum me quoq; fuiſſe confitear, cui ex animo bene conſultum voluerit: gratam viciſſim animi ſignificationem erga ipſum & te hoc modo declarare volui. Altera eſt, quod cum tu ea fere ætate ſis, quam Herculem ingreſſum fuiſſe proditum eſt, cum dubitaret vtram viam, virtutis ne an vitij inſiſteret: eius etiam exemplo, quod hoc carmine complexus ſum, te ad perſeuerandum in via virtutis exhortari viſum eſt.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Vt quemadmodum ipſe viuus generi hominũ ſua virtute profuit, & mortuus inter heroas generi humano ſalutares merito refertur: ſic tu cum ad iuſtam ætatem perueneris, hominibus benefacere diſcas, & benefactis nomen tuum immortalitati conſecrare. Bene valere te & parentes tuos, quamq; diutiſsime incolumes eſſe publico multorum bono velit is qui ſolus omnia poteſt. Vuitebergæ 15. Nouembris. Anno 1578. quo die ante annos 9. expugnata & rurſus occupata eſt arx Vardeburgenſis ab exercitu Regis Daniæ Friderici ſecundi, expulſis Suecis.

Petrus Ioannes Aſminderödenſis Danus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

AD LECTOREM
EPIGRAMMA.

INuia virtuti nulla eſt via, credite, verum
Nec via virtutis peruia cuiq; patet.
Illi namq; ſuos qui in turpia ſoluerit artus
Ocia, virtutis limina clauſa manent.
Et qui difficilem ſpernitq; fugitq; laborem
Virtutis nunquam culmina ſumma petet.
At qui ſedulitate pia ſtudioq; fideli
Vicerit oppoſitas quas habet illa moras.
Huic venient tandem conatibus addita iuſtis
Præmia; virtutis gloria vera comes.
Quod cùm exempla docent, veterum tũ dicta ſophorũ,
Ipſaq; Pythagoræ littera pingit idem.
Cuius in aſſcripto tibi myſtica ſenſa recludens
Petrus Iohannis carmine, recta monet.
Ergò illud legito, perlecto adiunge laborem:
Sic tibi virtutis dulce patebit iter.

Paulus Petrj Roſchildenſis
Danus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

ALIVD.

VT ſplendore ſuo Sol aſtra micantia vincit,
Cœleſtem & luſtrat lucidus ipſe chorum.
Innocuis homines vitam ſic moribus ornant,
Virtutis rectam quos iuuat ire viam.
Hi duros nunquam fugiuntúe timentúe labores,
Gloria nam duro parta labore venit.
At qui deſidiam vitamq́; ſequuntur inertem
Factis acquirunt præmia nulla ſuis.
Nam neq́; laus illos ſequitur nec fama celebris,
Egregijs merito eſt quæ tribuenda viris.
Palladis idcirco excelſam qui tendis in arcem,
Difficili ſuperes tramite laudis iter.

Georgius Nicolaj Houbrôenſis
Danus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

LITtera Pythagoræ, qua, quo ſe tramite vita
Virtuti vitioue paret, depingitur, ipſa,
Carmen erit: dexter venias mihi carminis author
Viue Deus, cœptumq́ iuues, faueasq́ labori.
Nam ſine te mihi vena gelat, pigroq́ veterno
Torpet, ſopitos hebeti neq́ ſanguine motus
Excit, nec ſtimulis mea languida pectora tangit.
Sint alijs animi vigor & fiducia, qua ſe
Iactant optatis, ſolùm conando potitos
Cæptorum euentis: calamiq́ laboribus vſos,
Quicquid ſentirent, in amabile fundere carmen.
At mihi tam vano mens non incenſa furore eſt,
Nec proprijs tantum confidere viribus auſim,
Conari vt quicquam valeam ſine numine Chriſti.
Verum hoc perſuaſum eſt, quod quamuis incitet ardor,
Viuidus ingenij & mentem per ſumma volutet:
Conciderem tamen & magno velut Icarus auſu
Exciderem, ſi non mecum tua gratia Chriſte,
Afforet, ac iuſtas ſuſcepta in carmina vires
Sufficiens, voto nihil auerſata faueret.
Momenti parui eſt humana induſtria, quam non
Et pietas fulcit diuumq́ potentia firmat.
Non ea quæ caſtis puerorum moribus obſint,
Angelicasúe procul pellant obſcœna cohortes
Muſa ferat: nec ſi fuerit pars vna Camenæ
Blanda Venus, vitij genetrix fœcunda nocentis:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Idcirco leuibus laſciuiet improba nugis,
Aut pandat ſtudijs quæ ſint contraria rectis.
Sed quæ formabunt teneram pietate iuuentam,
Vt diſcant vitijs deſiſtere: quæq; laborem
Præmia coniunctum pulchra virtute ſequantur,
Expediat. ſtudijs ea ſunt conformia rectis.
Ergo age qui fautor Muſis & verſibus author
Extiteras vnus, chartis illabere noſtris,
Et quos Pieridum ſaltus peragrare virentes
Eſt animus, mihi, te fac demonſtrante patere.
Vos quibus & maior longè prudentia rerum
Contigit, & dulcis facundæ gratia linguæ,
Præſtantes pietate viri, meritisq; celebres,
Indicium veſtri, quæſo, præbete fauoris,
Et faciles animo meliore remittite lapſus.
Tum tu Pierias iam nunc aſſueta per artes
Ire iuuenta faue. noſter tibi ſeruiet vni
Conatus ſtudio facili, vultuq; ſereno
Solius ipſa tuam, quæcunq; eſt vena ſalutem
Spectabit, nec non quod te iuuet, æqua docebit.
Sed ſatis: ad cæptum leto ferar omine carmen
Inuentor muſæ Deus effice, meq; guberna.
Littera, que Samij, celebratur acumine vatis,
In geminos, vno ſurgens è ſtipite, ramos,
Humanæ ſpecimen vitæ & myſteria morum
Præſefert. Cœlo nam qua pulcherrima virtus
Ire via ſtudeat: quibus infeſtetur eundo
Prodigijs: vt difficili non fracta labore,

Nobile

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Nobile vincat iter, monſtrat pingitq́ figura,
Quæ ſurſum tendens recto ſe limite pandit.
Nec minus egregiæ virtuti inimica voluptas,
Cui luxus rerum profuſor, & otia vitæ
Deſidis, exundans lethæo & gurgite torpor
It comes, exprimitur ramo qui latior exit
In læuum, & molles præmonſtrat in ardua greſſus.
Quo cum degenerem loca per lætiſsima turbam
Duxerit, aërio formans ê vertice cliuum
Excutit elatos, & in impia tartara mittit
Per præceps. tantum dant otia ſegnia damni.
Ergo typus vitij & vitæ melioris imago
Littera, non aliud, ſcelerum niſi triſte figurans
Supplicium, rectis dat palmam & præmia factis.
Quorum hoc vt firmat ſanctos in pectore motus
Inflammatq́ animis hominum virtutis amorem:
Sic id Barbariæ dat letho vindice dextra
Profligatq́ luem, & ſæuis terroribus vrget.
Sed prius atq́ gradus per quos animoſa labores
Obiectos ſuperet virtus: & amabile, victrix
Deformis lethi, decus appetat: vtq́ libido
Deſidia comitata, fero ſe beſtia rictu
Conficiat: auſisq́ vt languida mollibus inſtet,
Edoceam: viſum eſt (neq́ enim non vtile) morum
Indagare vias: quibus ingenioſa vetuſtas
Vſa, rudes hominum ſtuduit componere mentes,
Ad decus, & verum vitæ laudabilis vſum.
Et quia præ reliquis, memori ſi gentibus æuo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Intulit inuentis rerum ſolertibus vna
Græcia nobilior, ſequar hanc, eiusq; reperta
Queîs ceu Muſæo vitæ præcepta lepore
Condijt, vt potero, paucis exponere pergam.
Igneus vt primum vigor & cœleſtis origo
Mentibus humanis eſt intellectus ineſſe,
Doctrinæq; capax animus mediante loquela
Formari poſſe & fingi ad meliora docendo.
Tum qui iudicio rerum, virtuteq; clari,
Suadendiq; bono pollebant, cogere cœtus
Incepere pios & cingere mœnibus vrbes.
Et ne quas genti clades funeſta Tyrannis
Contractæ pariat, vimq; inferat ira potentum
Iniuſtam miſeris: leges atq; inclyta iura
Condi cæperunt: quas vir pietate verendus
Et virtute valens defendat fortibus armis,
Omnibus ex æquo decernens iuſta, nec vlli
Subuertens triſti quæ ſint benè facta cauillo.
His tenues, primo (famæ ſi credere fas eſt)
Principijs, vrbs inſignis pòſt creuit athenæ,
Quæ caput ad cœlum factis illuſtre ſuperbis
Extulit, ac ſolam præ cunctis hanc ſibi laudem
Aſſeruit, quod honeſtatis morúmq; magiſtra
E tenebris primum, vitæ documenta beatæ
Eruerit, clara ſtatuens in luce videnda,
Et ſerò linquens poſt ſe diſcenda nepoti.
Palladijs etenim ſtudijs cultiſsima totum
Penè orbem reliquum, qui ſe Borealibus alte

Regnis

Regnis explicuit, docuit dediſcere mores
Agreſtes, & depoſita feritate, ſuauem
Virtutum officijs humanis ducere vitam.
Nam præterquam quod leges inuenit honeſtas
Quæ iunctos æquo munirent fœdere cœtus
Et genus humanum certas ſociabile metas
Intra concluſum regerent: etiam optima diuum
Dona artes illuſtrauit: gratoq; lepore
Exornans, ad diſcendi pellexit amorem,
Ingenuos animis iuuenes, puerosq; tenellos.
Ergo qui primi mores docuere pudicos,
Egregias & qui vitam excoluere per artes,
Antiqui dixere Sophos. hi ſimplice forma
Verborum & breuibus virtutum dogmata dictis
Complexi in medium pueris diſcenda ferebant.
Credendum, eſſe Deos, qui factis præmia iuſtis
Decernant, & delictis atrocibus addant
Atroces pœnas. cœlo data ſemina menti
Diuina humanæ, quæ quo nos ducere pergant
Quatenus in nobis poſitum ſit, ſponte ſequendum.
Omnia quæ mundi teneat ſpacioſior orbis,
Humanis, à natura genetrice creata
Vſibus eſſe: homines verò quibus inſita lucis
Flammula diuinæ, qua rerum noſcere cauſſas
Obſcuras poſsint & diſcere commoda vitæ,
Tantum homines propter genus aſſociabile natos
Vt ſibi conducant & mutua commoda præſtent
Inq; vicem ſtudijs ſibi gratificentur amicis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Talibus hi dictis animos & pectora pubis
Mulcebant teneræ, cum iam tentare volebant,
An placido virtus poſſet ſermone doceri.
Quod cum conſtaret, cæptos vrgere labores
Inſtabant alacres, nec iam breuitate placere
Cura manet. ſed ceu per apertos flumina campos
Largius exundant niuibus brumalibus aucta:
Sic decus excellens morum, vis Dædala fandi
Latius exponens, hominis fluit ore diſerti.
Hinc loca diſcentum ſtudijs ſunt atq; docentum
Addita, quorum quæ fuerant celeberrima noſtros
Conſeruata diu durarunt nomina in annos.
Primus erat pueris genitali infamibus ortu
Sacratus, graio Synoſarges nomine dictus.
Porticus alter, vbi incerti deliria fati
Stoicus, euacuans mores, defendere certat.
Tertius è docto eſt Academia docta Platone
Clarior, & multos ob eum celebrata per annos
Omnibus in terris, memorem quibus inclyta fama
Sparſerunt monumenta virum, cæloq; bearunt.
Quartus at eſt nitidum quod te Stagyrita lyceum
Agnoſcit celebrem, ingenij neq; laude ſecundum
Vlli, qui tantum reliquos & acumine mentis
Exuperas omnes, verborum & lumine vincis:
Ætherea ſtellas quantum Sol luce minores
Anteit, & longo pòſt deſerit interuallo.
Tu quoniam, quid quem deceat, quis moribus inſit
Ingenuis ſplendor: vitij, quam turpis imago:

Coniu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Coniugibus quæ lex: qualis priuata volentem
Otia ſectari populo commendat honeſtas,
Diſſeris: & quàm ſe præſtanti pectore & armis,
Publica qui rerum ſolers momenta gubernat
Exhibeat, vere facundo fundis ab ore.
Tu rerum inuentorq́ ſagax, & patria nobis
Suppeditas præcepta, tuisq́ ex inclyte chartis,
Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta
Aurea perpetua ſemper digniſsima vita.
Deniq; cum non ſit qui te ſuperare docendo
Poſsit, ſeu rerum ſeriem ſeu pondera ſpectet
Verborum, placet hanc mores formamq́ modumq́
Tradendi, tenues quæ orſus ab origine ſenſim
Dilatans, ſtudio veterumq́ exculta ſophorum,
Enituit tandem & lato ſeſe intulit orbi,
Teq; tuis digna ſcriptis concludere laude.
    Altera diuinos agnoſcit forma poëtas
Authores, illi numeris & ſuauiloquenti
Carmine, quid vitam poſsit decorare docebant.
Sed qui ex his primi integros accedere fontes
Auſi muſarum fuerant, & montis amæni
Sacratos Phœbo digitis decerpere flores,
Inſignem capiti referentes inde coronam,
Incertum eſt. noſtro durant veſtigia ſeclo
Pythagoræ, quibus apparet ſublimibus auſum
Verticibus greſſus Parnaſsi inferre decentes.
Dulcibus eſt etenim complexus verſibus, omne

Virtu-

Virtutum decus & morum præcepta bonorum,
Quæ quoniam fuluo non tantum digna rependi
Extiterant auro: verum quia regula vitæ
Aurea ſunt, illis dedit aurea carmina nomen.
Aſcreæ ſed enim lux ô clariſſima gentis,
Te quoq; Pegaſeæ vatem nitidiſſimus vndæ
Imbuit inſignem liquor: & tibi tempora circum
Floribus intextas muſæ impoſuere coronas.
Otia tu reprobas animoq; vigente labores
Exercere iubes illos, quibus aurea cordi
Sit virtus. illam Diui, te authore, parandam
In medio poſuere, viamq; inuadere certam
Monſtrauere etiam: ſed quam niſi viuidus ardor
Incendat mentem greſſu calcabit inani,
Quiſquis erit. virtus pœnas commota minatur
Ignauis, animosq; procul depellit inertes.
Sic tu ſic pectus formas diuine poëta
Moribus, & recto deducere tramite vitam,
Oſtendis, quæq; hanc comitentur præmia, tradis.
Te quoq; ſunt plures quamuis non paſſibus æquis,
Attamen inuito nequaquam Helicone ſecuti,
Qui vitæ veram ſtudijs inferre ſalutem
Conantes, Phœbo non dedignanda parenti
Carmina fundebant: decus & venerabile morum
Concentu veluti blando numerisq; polibant.
In quibus eſt ſancta plenus pietate Theognis
Nec non Phocylides, vno qui tempore mores
(Vt perhibent) coluere bonos, cultosq; fidelj

Ad

Ad ſeros opera mitti ſtuduere nepotes.
Iuſſerunt ſperare Deum, qui facta malorum
Deſuper aſpiciat, iuſtoq; examine pendat
Intentus pœnis, ad quas non deſinit vnquam,
Humani generis petulantia publica lentum
Exacuiſſe, grauesq; irarum cogere in æſtus.
Lædendum nulli, quoſuis probitate mereri
Suaſerunt. ſed enim tete quem nulla parentum
Cura mouet, longa feſſorum ætate, manere
Supplicium grauius cecinerunt: quod neq; cæco
Res ea, ceu credas, voluatur cardine fati:
Sed quo tu fueris complexus amore parentes
Inualidos, miſeris vel vti ſolamina præſtes,
Hac tibi menſura ſoluent æqualia gnati
Decrepito, capiesq; ſenex ingrata minorum
Præmia, quæ iuuenis meruiſti ingratus. hic ordo
Iuſticiæ, diuum ſancitus numine durat.
Præterea hortati ſimili dignemur honore,
Quos legum moderatores decet eſſe monarchas,
Atq; magiſtratum reliquum, quo ſancta ſolemus
Omnia ſuſpicere è cœlo quæ miſſa ferantur
Vſibus humanis. Cœli ſunt munera reges
Inclyta, quo ſceptris datur aſpirante potiri.
Poſtremò (neq; enim tenui comprêhendere verſu,
Sancta mihi fas eſt, tantorum oracula vatum
Omnia) mandarunt, ne qua ſub imagine falſa
Pretextuúe aliquo fucato decipiamus
Incautos. ſi recta colis tibi Iupiter æquus

D Præ-

Præmia decernit: ſi fallis & æquior idem
Præmia decernit.nihil eſt obſiſtere recto,
Vel fictas, dicunt, lucro tibi vertere cauſſas.
Atq; hæc, de forma ſatis eſt monuiſſe ſecunda,
Qua bene virtutem priſci aſſeruere Poetæ,
Muſæo veluti conditam melle, ſcientes
Quod magis arrident quæ bellè tangere poſſunt
Aures, & lepido quæ ſunt ornata ſonore:
Quàm quæ ſimplicibus tantum ſunt prodita verbis,
Nec ſenſu nec iunctura pollentibus apta.
Tertia nunc ſequitur ratio, qua docta vetuſtas
Vſa fuit, quando triſti depellere vita
Barbariem voluit, moresq; inducere ſanctos.
Dicendi, brutis ratione carentibus, vſum
Attribuit, quo res humano more gerendas
Aut geſtas etiam exprimerent, ſimulachraq; fictis
Vocibus efferrent quædam, quibus ardua poßit
A vitio virtus cognoſci & cognita amari.
Fabula, doctrinæ genus hoc & forma vocari
Conſueuit. dubium eſt quo primum tempore cæpit
Quóue authore. Sed hæc nullo ſub iudice lis eſt,
An Phrygio quisquam melius, quæcunq; libebat,
Æſopo, lepidis poſſet comprēndere nugis
Seria, & humanos animantibus addere ſenſus.
Huic natura licet deformi corpore nato
Indulſiſſe parum viſa eſt, partemq; bonorum
Qua ſtolidi plerumq; magis mirantur & optant
Inuidiſſe: tamen ſi rem ratione volutes,
Com-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Comperies, ut ei uultu dea Pallas amico,
Iam primum dias uiſenti luminis oras,
Fauerit arridens, animum & donauerit auræ
Conſortem æthereæ, quo fretus damna rependit
Corporis inculti & formam uirtute poliuit.
Feſtiui ſiquidem ingenij monumenta ſuperſunt
Plurima adhuc, pueris etiam gratiſſima noſtris,
Qui conſecrati muſis, elementa bonorum
Addiſcunt morum, atq; artes ſectantur honeſtas.
Quid quæſo hoc poterit commento dulcius eſſe
Quo docuit quid ſedulitas crebriq; labores
Poſſent: & quantum ſe confidentia tardet,
Vincere cum ſtatuit quos præ ſe deſpicit omnes.
Quæ quia iucunda & cæptis præſentibus apta eſt
Vt potero uobis illam recitare ſtudebo.

Cochlea ſe quondam reliquis animantibus eſſe
Comperit inuiſam, greſſu quod reperet una
Difficili, nec quidquam acri leuitate ualeret.
Dedecus hoc igitur quacunq; uel arte uel uſu,
Deſpecto poſſet generi amouiſſe uolutans,
Excitat has ſecum dimiſſo pectore curas.
Soláne perpetuam deges ingloria uitam
Teſtudo, ſpretum & transmittes tempora in æuum?
Soláne contemptam ſobolem & ſine honore nepotes
Aſpicies? fruſtra lugebis ſola? nec unquam
Reptantes eris inter pars aut fama minores?
Non ita, quin mentem molire atq; aſtrue factis,
Præſtantiq; auſu manſurum in ſæcula nomen.

Armiger ille Iouis cunctis præſtare volatu
Quem perhibent auibus, celeri certare Palæſtra
Aut debet mecum aut victum mihi ſe ipſe remittet.
Qui late rumor poſtquam percrebuit, omnes
Mirari primum, mox & ridere volantes.
In primis aquila: hæc rumpi ſe pene cachinno
Dicere, nec vano quicquam certamine flecti.
Quin etiam ſannis dictisq; procacibus auſa,
Inſultare nimis miferæ. proh Iupiter inquit,
Qui me, ceu mereor, præ cunctis diligit vnum
Alitibus, formæ fauet, ac indulget honori.
Tune voles rapido mecum contendere curſu
Cochlea? Tun volucri ſperas illudere victo?
Manſuramq; tibi parere hoc certamine famam?
Credo equidem facies, modò nil cunctata capeſſas
More fugam ſolito: neq; enim ſpirare poteſtas
Vlla datur, cum tu pedibus velocibus iſtis
Scilicet, inſtiteris, crepitante fugacior Euro.
Gloria non tenuis celeri preuertere penna
Limacem, & nobis hæc ſit victoria curæ?
Sic aquila. at contra teſtudo talibus infit.
Si veluti lingua facile eſt ſuperare dicaci,
Non leuibus contra verbis certare volentem:
Sic factis viciſſe foret non ardua virtus,
Te contra nunquam mihi fas contendere ſcirem.
Palma ſed in medio cum ſit, virtute petenda,
Non verbis: ſtatuo iuſtum eſſe, quid vtraq; poſſit
Experiamur. habet certam victoria laudem.

Ar-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Ardentes animis virtus ciet æmula motus.
Nam vicisse licet, fidens, quem negligit hoſtem
In promptu putet eſſe, nihilq́; hanc ducere laudem
Præſumat: tamen eſt mentem qui vexat inanem,
Ni certet, Pudor, & ſuſpecti fama timoris.
Aliger vnde Iouis neq; detrectare Palæſtram
Suſtinet: inſignem quamuis agere inde triumphum
Victor non poßit: ſat habet ſi triſte refellat
Dedecus, & veteres certamine firmet honores.
Conſtituunt igitur metas & præmia ponunt:
Deinde locum vnanimes capiunt: ſignoq́; repente
Corripiunt ſpacia audito: limenq́; relinquunt.
Sed non promouere pares: volat ocyor Euro
Aliger, inijcio, Iouis, irridetq́; relictam.
Dij, quantum eſt tibi teſtudo leuitatis, vt inſtas
Curſibus, vt rapido præuertis fulmina motu.
Non, mihi ſi ſenas geminis, Deus adderet, alas,
Ipſaue ſucceſſum melior fortuna ſecundet,
Te celeri ſperem præuertere poſſe volatu.
Heu ſpem fallacem palmæ victricis, ineptam
O me, quæ vanis te contra motibus arſi.
Scilicet hæc merces animi fidentis, in ipſo
Culmine, precipitem vitæ ſentire ruinam.
Sic aquila illudit miſeræ: nihil illa moratur
Probra tamen: cæptis inſtans fert ſedula greſſus
More ſuo, ac operas noctesq; diesq; fatigat.
Ante oculos animumq́; pudor, ſi victa labaſcat,
Verſatur: nec non manſuræ gloria famæ,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Si vincat, paruum ſtimulis agit vndiq; pectus.
Hinc magis atq; magis perſtat: feruensq; labores
Feruenti ſtudio, indefeſſa, laboribus addit.
Omnia ſed iocus hæc aquilæ riſusq; fuerunt.
Nam ſecura volans, nunc cœlo proxima tendit,
Nunc demiſſa petit, nunc gyro præparat alas
Aëra per liquidum, & curſus obliquat inanes.
Interdum lepores inſuetæ oblita paleſtræ
Sectatur: nonnunq̃ etiam defeſſa reſidit
Montibus, & placidam carpit per membra quietem.
Interea lentis teſtudo paſſibus, omne
Vincit iter, poſitamq; attingit ſedula metam,
Optatamq; capit victo Iouis alite palmam.
Tunc aquilæ dolor exarſit, cui turba volantum
Plurima, certauit meritis illudere ſannis:
Victori contra gratari & tollere ouantem
Laudibus, inſigni dignis ad ſydera facto.
Hæc te quisquis eris, fœlici viuere fato
Qui cupis, & longo merita celebrarier æuo
Laude, monet duros fabella vrgere labores,
Et finis ſpe dura pati. fruſtrabere voto
Viribus humanis fiſus, donisùe ſuperbis
Naturæ, nihil aduigilans tantum ocia ducis.
Talia feſtiuo tingens documenta lepore,
Vir multis animi præclarus dotibus, auxit
Diſcendi ardorem pueris, & plurima vitæ
Cõmoda, ceu ludens, & quæ fugienda, docebat.
Vidit enim rigidas lepida manſueſcere mentes,

Fa=

Fabella: & poſito languore attendere dictis,
Quæ Brutæ miranda ferant ſpectacula turbæ.
Luſus enim gratus pueris, & gratus adultis,
Si quas diua parens rerum natura creatrix,
Mutas eſſe feras dedit, & rationis egentes,
Conſilijs pollere, ſuis & legibus æuum
Subdere, nonunquam inq; vicem ſermonibus vti
Forte legant, vel præceptore interprete diſcant.
Vnde ſcholis etiam credo puerilibus eſſe
Principio commendatas: vt ſi quid acerbi
In ſtudijs foret, ac teneræ faſtidia pubi
Adderet: hoc quaſi muſæo dulceſcere melle
Incipiens, blanda demum ratione teneret,
In ſtudijs morum docilem, fingiq; paratam
Præceptis varios ad vitæ nobilis vſus.
Quem cœlo referunt miſſum diuinus homerus,
Vt regum pueros, genus alto à ſanguine cretum
Recta ſequi, mox â primis iam redderet annis
Aſſuetos, vitij turpeſq; auertere lapſus.
Compræhenſis numero fabellis, iſtud obiuit
Muneris, & finxit paruos ad honeſta nepotes.
Murium enim pugnam, & ranarum carmine ludens,
Quas clades ſecum quæq; infortunia bellum
Adferat expoſuit: nec non vt ſæpius omnem
Spem fallax cœpti vertat fortuna ſecundi,
Non infeſtiue tali ſub imagine pinxit.
Temperat euentus nam ſors & inepta retundit
Conſilia, vt diſcas, non quæ tu iuſta putaris

Me-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Metiri affectu. quod ſi violentia tete
Preſſerit alterius, fac ſit res iſta tonanti
Curæ, qui certo pœnas in pollice geſtat,
Ocyus infeſto venturas deſuper hoſti.
Fidere diſce Deo violenta preſſe potentum
Ira: vindictam ſolus nam tempore iuſto
Exigere, & læſis fautor ſuccurrere nouit.
His tribus vna modis virtus condita, tenellis
Mentibus arridet magis, & iucundior vſu
Reddita multiplici, factis decus auget honeſtis.
Iamq́; licet ſtudio ſatis huic feciſſe putandum eſt,
Formandæ vitæ ſapientes: non tamen omnis
Hic ſe cura premit, nec multo fracta labore,
Deſinit, in claram, pulſa caligine, lucem,
Quicquid id eſt ignis diuini, aut particula auræ
Cœleſtis, noſtram qua mentem afflauerat author
Humani generis proferre, palàmue videndum
In tabula tanquam, cunctis proponere ceſſat.
Nam quo vita gradu procedat honeſta, figuris
Exprimere & vario ſignare emblemate cæpit:
Quod decus acquirat ſi perſtet, & omnia rectis
Lancibus expendat: tum quo diſcrimine, turpi
Militet, aut cæcis male ſana furoribus inſtet.
Huic quoq́; Pythagoras inuento eſt author, ab ipſo,
Littera nam geminosq́uæ vno de ſtipite ramos
Mittit in excelſum, ad mores traducta, figurat,
Et pulchra, vitæ euentus, ſub imagine pingit.
Atq́; hæc de varijs formis quibus inclyta virtus

Con-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Conſueuit tradi pueris apteq; doceri
Sat fuerit dixiſſe. ſuper nunc altera muſæ
Pars eſt: nimirum vt Samiæ myſteria quæ ſint
Litterulæ dicam: qua vitæ plurima conſtat
Commoda depingi, necnon mala damna notari.
Te precor hanc vilis partem ne ſperne Camœnæ
Culta iuuenta. graues te declinare docebit
Si parere voles monitis, in noxia lapſus.
    Linea prima quidem reliquis ſubtenſa duabus
Recta, breui ductu, ceu ſtipes leuior extat.
Ex hoc ſe gemini diuerſa in cornua rami
Subtendunt, quorum qui læuus prominet, altum
Æthera non ſpectat rectus: ſed pronus in orbem
Flectitur & terram prærupta mole tuetur.
Dexter in excelſum contra ſua robora lætus
Mittit & in ſedem ſupero ſe vertice pandit.
    His morum & vitæ ratio comprenſa figuris
Exprimitur. Prima pueri depingitur ætas
Lineola, nam ceu ductu procedit eodem,
Principio, ſed mox gemino diſcrimine fiſſa
Tenditur in varias vario molimine partes:
Sic modò ſit puer â cunis aſſuetus honeſto
Moribus ingenuis & recto tramite vitam
Deducit: faciles anni labuntur, & albo
Diſpenſant parcæ molliſsima ſtamina filo.
Interea tamen ipſe vides quicunq; laborem
Impendis puero fingendo, vt paſsibus ætas
Ambiguis erret tenuis, cum laxus habenas

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Effundas vitæue adſtringere vincula ceſſes.
Mollia dum fuerint ſuccisq; recentibus aucta
Vimina, quis neſcit, multo ſine poſſe labore
In quemcunq; voles deduci leniter orbem.
At cum ſe valido firmatum robore ſtipes
Extulit, emiſitq; alios in pondera ramos,
Non magis humanis patitur ſe viribus vllis
Flecti, robuſtáue manu velut antè moueri.
Sic ætas mollis pueri puerilibus annis
Obſequium præſtat: ducis & veſtigia ſponte
Colligit, & facili monitis conamine paret.
Sunt etenim quos parua mouent impendia rectum
Vt ſtudeant, dictisq; pijs pia pectora ſubdent.
At cum nequitijs imbuta valentior ætas
Radices altas egit: contemnit habenas
Imperij Præceptoris, nec lege teneri
Vlla ſe reputat: furit & quo cæcior ipſam
Impetus impellit, valido ceu turbine rapta
Defertur præceps & vitam cladibus infert.
Ergo dum tener eſt animus, dum legibus aptus,
Imperio frenandus erit: ne lætus in omne
Luxuriet ſcelus, & veluti ceruice iuuencus
Indomita, cum maturis adoleuerit annis,
Vincula detrectet, vitijq; repagula frangat.
Hoc cultu fiat prima florente iuuenta
Moribus & vita melior, mentemq; ſubactam
Quo virtus & honeſta vocant prælud ia vertat.
Sic lepida pueri mores in imagine format

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Linea prima, docens cauto pede ducere greſſus:
Ne leuæ inſiſtat parti, qua degener amplam
Dux ferat in vitij verſuta fraude cathedram.
Nunc iuuenum ſtudia & reliquos ex ordine ramos
Expediam. Curis animus diducitur atq;
Fluctuat, vt primum ſibi ſe cuſtode remoto
Linquitur, haud monitore poteſt ſine recta videre,
Nec regere incultos mores ratione iuuentus,
Conſilijsùe bonis. quamuis pars tramite vero
Interdum pergat, nec multum deuia curſum
Dirigat huc vitæ, vt laudem mereatur honeſtam.
Verum hæc vt ſapiens ſic & rariſsima turba eſt.
Quod quo perſpicuum magis atq; probabile fiat,
Ex Xenophonteis placet huc adducere chartis,
Exemplum Alcidæ, quo ſollicitudo iuuentæ
Anxia depicta eſt. recto nam blandula mentem
Idalis officio mouet infatuatq; veneno:
Sed virtus contra meliori tramite greſſus
Ferre docet, iuſtis & ſpondet præmia factis.
Hoc etiam Samiæ ſenſum mentemq; docebit
Picturæ, & remoras tendenti ad maxima tollat.
Vos animis iuuenes præſentes eſte benignis.
Nondum puniceo Pallantias exijt ortu,
Nec caput illuſtre, oceani, ſol extulit vndis,
Cum bonus Alcides, primo quem flore iuuenta
Veſtirat, campum ingreſſus, propè fluminis vndam
Conſedit, cubito innixus, multumq; volutans

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Num præſtet duros virtutis amore labores
Exhaurire, ſuum factis ſuper æthera nomen
Tollere, & æterno inſignem florere triumpho:
An referat magis obſcuram ſine nomine vitam
Degere, nil animo magnum aut laudabile quicquam
Concipere, ignauo at ſemper torpere veterno.
Tales voluentem iuuenili in pectore curas,
Accedunt geminæ præſtanti corpore Nymphæ:
Quarum prima fuit formaq; habituq; decenti:
Candidior faciem ac oculos deiecta modeſtos
Frontem auguſta, viro propior: ſed læta pudore
Virgineo, motus animi affectusq; ferebat
Præ ſeſe placidos. tum veſtis candida, qualis
Exornare ſolet niueam probitate maritam,
Donis contentam naturæ & ſimplici cultu.
Altera diſsimilis carnoſa & mollior, ibat.
Picta genas fuco, formam illuſtrauit & arte
Congenitos iuuit varia lucere colores,
Non facie contenta ſua. formoſior eſſe
Quam natura dedit ſtudio quæſiuit inani.
Dehinc etiam inceſſu patuit dea vana, furore
Percita, quæ quanquam turpe eſt, librauit eundo
Corpus, & erecto nimium ſe pectore mouit.
Inſtabiles iaciens oculos tranſuerſa videbat,
Spargebatq; vago laſciuas lumine flammas.
Fulgida veſtis erat gemmis, auroq; trilici
Circum oras ſuffuſa, hanc vultu ſæpe reflexo
Aſpiciens, num quis ſe miraretur euntem

Ser-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Seruauit, propriæq́ attendit motibus vmbræ.
Iamq́ propinquantes Alcmæna matre creato,
Prima gradu mulier quo cœpit pergit eodem,
Nil properans: verum pernicibus altera plantis
Præuolat anticipans ſociam, iuuenemq́ ſedentem
Sic prior affatur. Iouis ô clariſsima proles
Te dea cœleſtis venio, doctura, viarum
Ambages, falſo dubius ne errore ferare,
Imprudensúe malis te forte laboribus addas.
Si meus eſſe voles, dominam me agnoſcere ſolam
Imperijsq́ meis parere, tibi omnia vitæ
Gaudia concedam, & læto te tramite ducam:
Vt quæ delectent, blanda ratione fruaris,
Nil damni in vita, nulla infortunia noſcas.
Principio ne ſanguinei diſcrimina Martis
Experiare dabo, nec magna negocia tractes,
Quæ curas nimium attenuantes corpora gignunt:
Sed tibi delicias & plenæ pocula menſæ
Quæ florem paſcant æui, cordi eſſe iubebo.
Hic amor hoc ſtudium vitæ tibi prorogat annos
Et validò formæ cum robore ſeruat honorem.
Tum quod delectet viſum, quæ lumina ſomno
Suauiter afficiant, defeſſa requirere diſcas.
Nec non quæ fuerint tactu molliſsima tangas
Effice, tum neq́ balſameum ni inſpiret odorem,
Naribus obijcito quicquam. nam tanta quietus
Commoda percipies lætusq́ fruare, laboris
Expers. quin dulci cum vis dare membra ſopori,

 Lon-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Longius haud abero: te molli prompta reponam
In ſtrato, & placidam præſtabo nocte quietem.
Si vero dubites an talia commoda durent,
Cum loculos auro vacuauerit acta voluptas,
Hac ego te cura, verbis attende, leuabo:
Et quibus euadas damnum compendia tradam.
Nam neq; præcipiam duros vrgere labores,
Aut animi curis angi, ne protinus albos
Subuertat fortuna dies, atroſq; reducat,
Ac tibi quæ fuerant modo ſuauia, reddat amara.
His occurre malis præcepto haud amplius vno.
Vtere quas alij multo peperere labore
Diuitijs. licet hoc cunctis qui noſtra ſequuntur
Mollia caſtra, opibus cerdonum more paratis
Viuere, et exuto, lucrum quodcunq; pudore
Sectari. eſt noſtræ hic neruus columenq; ſalutis
Vnicus & facilis, charisq; tyronibus aptus.
Talibus orantem dictis Ioue natus amanter
Compellans quærit, quo dici nomine gaudet.
Hæc contra, nomen variat, qui gaudia vitæ
Qualia multa meis concedo ſponte ſequuntur,
Me, fortunatam dicunt. Sed qui mea ſpernunt
Commoda, magnanimo voluentes pictore caſus
Incertos, duro ſubigentes corda labore,
Hoſtes, me vitij compellant nomine turpis.
Dum tali inter ſe tempus ſermone trahebant,
Infert ſe mediam virtus ac talia fatur.
Te quoq; nate Deo noui moreſq; animumq;

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Et quibus à prima ſis ſtirpe parentibus ortus:
Tum vero eximia quam ſis puer indole, & acri
Ingenio, quantusq́ ad honeſtas impetus artes.
Vnde mihi ſpes eſt haud fallax, omnia te iam
Quæ moneo facturum & quò te voce vocarim
Laturum faciles mecum ſuper æthera greſſus.
Non ego te vanis illudam turpiter auſis,
Nec comitem veneri fedæ tete ire iubebo:
Sed vere tibi narrabo quo tramite pergas,
Vt factis ſuperes alios virtuteq́ vincas.
Accipe ſic igitur mea dicta & mente repone.
Abſq́ labore, nihil Diui mortalibus ægris
Concedunt, ſi vis fama florere labores.
Numine propitio ſtatuis traducere vitam,
Numina ſancta colas, dictis factisq́ celebres.
Si tibi amicitiæ fuerint qui fœdere iuncti,
Hos cupias vt te vero amplectantur amore:
Officijs auge veris, & paſce cupitum
Obſequijs, non vt gnatho fucatus, amorem.
Vis etiam magni vir nominis ire per vrbem
Inſignem, & merita celebrari laude bonorum
Expetis: huic aliquo quod non queat alter ab vſu
Proſis, egregio nomenq́ merebere facto.
Deinde ob virtutem eximiam vis Græcia laudet
Et genus & proauos & qui te ætate minores
Extiterint: totis benefacta ingentia regnis
Preſtanti conferto manu & fulgentibus armis.
Si te vis maneat diuini gloria ruris,

Ac

Ac animo ſedeat terræ diteſcere fructu
Stiua tibi, currus quæ à tergo torqueat imos,
Eſt forti prenſanda manu, cum taurus aratro
Pingue ſolum ſecet ac glebas confringat inertes.
Præterea gaudes armentis ditior eſſe,
Lanigeros agitare greges hirtasq́ capellas,
Denſior vnde tibi ſoboles, & copia lactis
Proueniet: quod erit ſtudium qui cultus habendo
Sit pecori diſces, neq́ dedignere labores.
Vis etiam fortaſſe tibi decus addere bello,
Te ſignari oculis celebrem præſtantibus auſis,
Arma cape, aduerſum & fidens fer pectus in hoſtem,
Viuida dum bello virtus, animiq́ calentes
Pugnæ res trepidas feruentem inuadere ſuadent.
Præcipuè dulces defendere oportet amicos,
Et patriam ſeruare decet: ne longius hoſtis
Irruat, ac captis euertat ciuibus vrbes.
Deinde tibi exitium & qui triſtia fata minantur
Exuperare volens, & fundere fortibus armis:
His te coniungas duri qui prælia Martis
Aſsiduo miſcent, imis & ſedibus vrbes
Euellunt. Sub ijs duram tolerare magiſtris
Militiam, ac horum præſtantia cernere facta
Aſſueſcas, primis & eos mirabere ab annis.
Deniq́ ſi valido firmatum robere corpus
Eſſe voles, animo aſſueſcas vt pareat, atq́
Perferat aſsiduo tinctos ſudore labores.
His Venus indignata nimis, ſic ora reſoluit.

En

En quæſo clara iuuenis ſate ſtirpe deorum,
En quæſo, quam dura tibi quanq́ aſpera eunti,
Qua pergas via monſtratur. labor vnus in omnem
Perdurat vitam: nihil eſt, niſi ſudor, amandam
Quod tibi vix referat delapſa ætate quietem.
Aſt ego fœlices annos primam ante iuuentam
Efficio, & facili puerum te tramite ſiſto.
Hæc virtus contrà. quid nam tibi fœmina quæris?
Quid capere antè dolis perſtas? & cingere flamma
Conaris iuuenem? ne quo ſe numine mutet
In melius, tete auerſans. quid blandula garris?
Tune boni quid habes? aut quid tibi dulce videri
Dic poterit? quando vna tibi eſt nocuiſſe voluptas.
Nam nihil eſt quo non intempeſtiua nimisq́
Vteris impatiens deſiderij: velut œſtro
Percita, non horam expectans nec tempora ſeruans.
Plena cibo comedis: ventrem diſtenta voraces
Ingluuie rictus nullam non pandis in horam:
Quamlibet ingeſtas nondum concoxeris offas.
Ante ſitim bibis, & cerbro licet vuida potu
Diſtilles: tamen vſq́ hauris dum viſcera pondus
Suſtinuiſſe queant, pleno & te proluis ore.
Vt comedas auidè multos variosq́ ciborum
Artifices cumulas. hi ne quid grata cupido
Veſcendi intereat, menſam tibi ſternere opimam
Atq́ epulis auro conditas ponere certant.
Vtq́ bibas largè tibi quæris dulcia vina
Ingenti pretio: quæ nix æſtate reperta

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Temperet ac nimium calido defendat ab æſtu.
Præterea placido cum vis te tradere ſomno,
Non ſolum tibi ſtrata placent, quæ fulgida gemmis
Elucent, magna quibus inſunt arte paratæ
Veſtes, quas mixtis exornant licia telis:
Verumetiam lecto apponis ſubſellia, multis
Floribus inſtrata herbarum. Nam feſſa labore
Nunquam declinas languentia membra ſopori:
Sed quia nil quod agas habeas das lumina ſomno.
Iamq́ ignaua cubans, prius ac deſiderat ipſa
Natura exerces Venerem. Stimuloq́ furoris
Acta, ſimul (ſcelus ab immane) puellis
Et pueris habito nullo diſcrimine abuti
Cogis qui tibi ſunt addicti teq́ verentur.
Quas dedit eſſe vice〈s〉 operum pulcherrimus ordo
Naturæ, inuertis. Nox quæ data ſola quieti eſt,
Hanc tu laſciuo tribuis dea fœda furori.
Tunc vino indulgere iubes, hortaris amare,
Ducere ſcorta domum, cædi, furtoq́ miniſtri
Aſſueſcunt, miſeræq́ augentur damna iuuentæ.
Hinc vbi Tithoni coniunx aptiſsima Muſis
Exoriens, aperit roſeo cum lumine terras,
Stertere tum cogis iuuenes, qui nocte furebant
Intempeſtiua: deîn quod de parte diei
Exacti ſomno ſupereſt ad pocula vertis
Integra, & integros reuehis cum luce furores.
Ac tibi quamquam ius epulis accumbere diuum
Conceſſum, & generi fas immortale tueris

Diua

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Diua tuo:tamen es quanta es contempta beatis
Cœlitibus, nec te quiſquam dignatur honore,
Qui ſapit & quali ſis numine prædita nouit.
Auribus hauſiſti nunquam te laudibus eſſe
Ornatam veris: licet hoc nil ſuauius vlli
Contigit auditu: quam ſi ſe fama per orbem
Euehat inſignem factis,animoſq́ loquentum
De ſeſe atq́ oculos in ſe conuertat euntum.
Nec vidiſſe tuum temet fateare neceſſe eſt
Vllum opus, egregia dignum quod laude feratur,
Quamuis nil viſu contingat amantius vlli.
Ergo quis compos mentis tibi credere quicquam
Audeat? inq́ tuos aliquid niſi deſipit vſus
Expoſuiſſe volet? vel turpes inter haberi
Quos tu fraude tibi dea peſſima quæris amicos?
Nam quicunq́ tibi blando ſunt fœdere iuncti,
Vix iuuenes ſua membra trahunt:ita viribus ægri
Deficiunt,ita langueſcunt,vt penê videntes
Et viui geſtent præſentem in corpore mortem.
At quibus obtigerat paucis matura vetuſtas,
Hi pecudum ſimiles ſine ſenſu & lege vagantur.
Nam dum præſtabant iuuenili in corpore vires,
Delicias quæſiuerunt & mollia vitæ
Gaudia carpſerunt: dum flos iuuenilis abiret
Et triſtis venit curis comĩtata ſenectus.
Tunc morbi incubuere graues,tum prima quæruntur
Tempora inutiliter fluxiſſe,iterumq́ requirunt
Fruſtra: tunq́ pudet duxiſſe per otia vitam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Ignauam & didiciſſe nihil florentibus annis.
Aſt ego, ſi liceat de me mihi vera fateri,
Sum dea cœleſtes inter quæ maxima diuos
Aßiduè verſor, niſi cum mortalibus adſim
Qui me ceu mereor dominamq́; ducemq́; fatentur.
Nil diuini operis ſine me fœliciter vnquam
Procedit, labor eſt vanus, ſolertia vana
Mortalis, niſi conſilium dedit optima virtus.
Tanto me diui atq; homines dignantur honore.
Quin neq; ſola dijs adſum & cœleſtia curo,
Vel quæ mundus habet ſublimia ſola miniſtro:
Artificum ſed in extremas dimittor & artes,
Et quem Vulcanus, ſatago tractare laborem
Cum ſuper incudem numeroſa in verbera fortis
Concutit ignitum duro ſub pondere ferrum.
Præterea dominis qui me reuerenter adorant,
Inq́; ſua vigiles operas ſtatione tuentur,
Fida ego ſum domuum cuſtos, & fida rapaces
Ignauum fures abigo pecus ædibus omnes.
Sum quoq; ſeruorum quibus eſt ſeruire voluptas,
Et faciles habeant dominorum ad commoda dextras,
Gratum lenimen: ne quem tolerare laborem
Nomine ſeruitij debent, ſufferre grauentur.
Efficio placidam florere per oppida pacem
In qua cuncta vigent: leges, oracula verbi
Sancta Dei, nec non diuinæ Palladis artes,
Coniugia & dulcis formoſæ eductio prolis.
At ſi qui pacem turbent aut forte laceſſant
Marte

Marte meos, quales qui vi graſſantur aperta,
In promptu mihi ſunt & opes & miles & arma.
Hoſtibus ipſa ferox telis exterrita nullis
Congredior, quos exupero ferroq; rebelles
Compeſco. verum qui ſe ſubmittere victos
Imperio, culpam agnoſcunt, veniamq; precantur
Hos ego defenſos æterna in fœdera mitto.
Quin mihi ſubiecti non ſubdunt membra popinæ,
Nec legi ventris conſentit inepta voluntas.
Ingluuies nulla eſt, alui neq; cura voracis
Torquet eos: Sed quam ſtatuit natura ſequuntur
Legem, contenti dapibus quas debita menſæ
Reſq; locusq; ferant. comedunt nec plura requirunt.
Nulla meis rcquies grata eſt nec ſomnus amicis,
Ni prius indomito corpus fregere labore.
Nam ſua qui feſſi componunt membra ſopori,
Suauius hi multo recubant quam qui otia tantum
Turpia ſectantur, nec honeſta negocia tractant.
Hinc experrecti vegeto ſe corpore tollunt
E ſtratis, alacres ad primum luminis ortum
Excercentq; diem, dextraſq; ad munia gnaras
Admouiſſe parant, incæptaq; perficere inſtant.
Deinde etiam iuuenes vero lætantur honore
Maiorum, quando hos factis ad ſydera tolli
Fama conſtanti audierint: illiq; viciſſim
Corde ſuo gaudent pulchra virtute minorum,
Quos cernunt ſua per veſtigia ducere greſſus,
Atq; ſuo generi factis decus addere honeſtum.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Sic etenim memet virtus æterna propago,
Cum læti repetunt iuuenes inſignia patrum
Facta, nec his animo capiunt feruente minora.
Gloria calcar habet, caſus animoſior omnes
Expectat, qui ſe prognatum ſanguine claro
Cogitat in ſeros fama transferre nepotes.
Quapropter Deus inſignem qui mentibus addit
Ardorem, haud fallax ſpondet quoq; præmia factis
Digna ſuis. facit hos dulces mirentur amici
Et claro mouet vt patriæ dignentur honore.
    Deniq; cum finis fato approperauerit æui
Et vita excedent mortali: non tamen omne
Quod viuis decus extiterat, delebitur, atq;
Ceu corpus tenui clauſum tumulabitur vrna.
Sed quoniam egregijs placuit dum vita manebat,
Præſtantem factis virtutem extendere: viuent
Dum recto laus vlla manet, perq; aſtra celebres
Et terram, penna ſolui metuente vehentur.
    Ergo nate Deo ſi te mihi dedere mens eſt
Omnibus hiſce frui poteris ſudore paratis
Dixit, & in tenues dilapſa euanuit auras.
At iuuenis motus animo concepit honeſtos,
    Et viſæ ardenti in caluit virtutis amore.
Fallacem exoſus venerem, fugat atq; repellit
Quas ſibi coniunxit comites dea fœda nocentes,
Spurcitiem, ingluuiem, illecebras & quicquid inertem
Fraude noua luxum gignit, vitamq; profanat.
Sola placet virtus, ad eam ſe pectore firmo

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Præparat, & meritos illa ſibi quærit honores.
Vlli non parcit noctesúe diesúe labori,
Dum genus humanum iuuet, ac præſtantibus auſis
Tollat humi famam, claris ac inferat aſtris.
Hinc Nemeæ ſub rupe leo, lernéaq́; peſtis,
Et taurus Cretæ fuſus: monſtrumq́; bimembre
Perdomitum, & volucres victi Stymphâla colentes.
Hinc hoſtes bello ſuperati: hinc ianitor orci
Iu lucem inſuetam tractus, mortalia ferre
Cogitur imperia. Vſqueadeo domat inclyta virtus,
Et premit humanæ quæ ſunt incommoda vitæ:
Illuſtratq́; decus factorum & præmia donat.
Hoc patet exemplo teneram quæ cura iuuentam
Sollicitet: nec non gemini ſententia rami
Quæ ſit diuarum affatu manifeſtius exit.
Nam dea quos fallax & verbis blanda ſiniſtram
Allicere ire viam vaniſq́; illudere donis,
Aut aſtu aduigilat: ſunt hi quibus omnis honeſtas
Sorduit à prima, ſpreta virtute, iuuenta.
Quando etenim iuuenem cœpit tædere laboris,
Aut virgæ impatiens gallinæ filius albæ,
Abnegat imperium monitoris ferre benignum,
Ex templo illius mendax arrodere famam
Attentat, charis ſuſpectum & reddere amicis.
Et quia ſunt ſtulti lachrymis in vota parentes
Attrahit: his operas nimias quibus vſq́; grauatur
Vibiceſq́; ſuas errorum & tædia monſtrat.
Concedunt igitur vana pietate ſuorum

Moti

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Moti quo libeat deducere tramite vitam.
Heu quanta hic ſceleri, quanta eſt recluſa feneſtra
Nequitijs, quando iuuenis ſibi conſulit ipſe.
Nam ceu cum rapidi turbarunt æquora venti,
Nauis ab inſanis quaſſata reuoluitur vndis
Huc illuc, dubio nec ſcit petere oſtia velo:
Haud aliter feruens animo ruit ipſa iuuentus
In præceps, furit, & per aperta pericula fertur
Prudens atq; ſciens, vitæ neq; damna moratur.
Nec tantum vna via eſt miſeros quæ ducit in omne
Exitium iuuenes: vnum eſt in mille receſſus
Veſtibulum: per quod varium eſt iter inq; pericla
Diſcurſus varij, impietas, hæc ianua ſola eſt,
Qua ſeſe ambages & inextricabilis error,
Explicat in multos obtecta fraude dolores.
Nam diſciplinæ vt primum laxauit habenas,
Aut ſoboli pater indulgens, aut quisquis honorem
Sortitus patrium, vitam informare tenetur
Moribus ingenuis: preſertim vbi conſcius æui
Abnegat imperio aut duris parere lupatis.
Mox animo pudor & diuum reuerentia cedens,
Quo leuitas inhoneſta vocat feruorq; iuuentæ
Se duci patitur. Nil relligione mouetur,
Nil pœnis: imo vix nuce caſſa hæc æſtimat amens.
Principio ſi diues opum locuplete parente
Progenitus fuerit, multisq; beatus amicis,
Ingentes animos tollit, ſortemq; laceſſit
Fœlicem, genio indulget, luxuq; potentem

In-

Inceſſuq́ nihil dubitat prouocare monarcham.
In primis ne quid communi veſte tegatur
Curat: ſed quali funeſta ſuperbia limbos
Addidit, aut ſtrumis detorſit inanibus oras.
Simplex aut habitu quæ ſit digeſta modeſto
Diſplicet, inq́ alijs etiam ridetur iniquè.
Hinc ſimiles qui ſint vita ſtudijsq́ ſodales
Inquirit, nihil eſt ſolus quod inutilis erret,
Ni comites alios parili quos voluere damno
Quiuerit, inueniat: quorum & ſe moribus addit
Inſcius & vitium vitio cumulare laborat.
Eſt alijs alius natura erroribus aptus,
Et magis huc fertur quo fati occulta ſequentem
Vis trahat, inq́ ſuas valido ruit impete clades.
Ille libidinibus cæcoq́ indulget amori,
Et graue ſupplicium pœnasq́ ſibi attrahit omnes.
Ille voluptates ſectatur & otia vitæ
Laude carentis amat: nec duros ferre labores
Curat & in ſtudijs primum conſumere florem
Ætatis: licet hinc veluti de fonte perenni
Manet honos, veræ & poſt mortem præmia famæ.
Helluo ſæpe ſuas luxu cum perdidit omnes
Turpis opes, ad furta manus conuertit auaras,
Aut ſtudio quocunq́ parat ſua damna leuare
Dedecus vnde ſibi generiq́ infamiam honeſto
Conciliet: partemq́ inglorius eximat æuo.
Eſt quoq́ qui nunquam temerando parcere ferro
Deſiſtat: calidam ſubito procliuis in iram,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Vlciſci nugas offenſam & promtus inanem.
Deniq; nunc alios aliud deformat, honeſto
Ne pateat locus, aut virtuti præmia ſanctæ
Sint ſua. diſpenſant vitiorum ſemina clades
Et vitæ veros vi depopulantur honores.
Attamen has inter furias furioſior ipſe
Verſari iuuenis gaudet florentibus annis:
Dum vires fuerint abſumptæ, aut voluere cæco
Tabuit, aut miſerum ſtolido dementia luxu
Confecit, neruis priuans quibus integer antè
Robur & elatos animos fulcire ſolebat.
Surgere ſemper enim medio de fonte leporum
Conſtat amari aliquid quod in ipſis floribus angit,
Siue hoc ſiue aliud: quod eum meliora ſequutum
Vlla truci nequeat ſpectare incommoda vultu
Cogere, & auerſum culpa ſentire tonantem.
Sed lætos abiiſſe dies horasq; ſerenas
Quis vetuit? fas ne eſt proprio traducere vitam
Arbitrio, dum non alieno viuimus ære
Nec ſi qui deſint, te poſcimus inuide ſumptus?
Tu labi res, tu fieri vadimonia demens
Sæpius ingeminas monitor, mihi fama vacillat,
Officium languet, delirat linguaq; mensq;
Claudicat ingenium, læto niſi pocula vultu
Nil vnquam aſpicio, mors eſt euoluere libros,
Otia grata refers, & plurima de genere illo
Commemoras, ceu noſtra tibi fortuna feratur,
Aut quod ego peccem foret hoc tibi morte piandum.

Hoc

Hoc ſibi reſponſum ſi quis reuocare furentem
Conetur fruſtra, expectet. rationis in illo
Nil ſupereſt, recta ſed in ipſum tendere pergens
Exitium, nulla patitur ſe lege teneri.
Ergo vbi completa eſt ſceleratæ linea vitæ:
Exutusq; bonis didicit nihil: inuidet æger
Quos florens fortuna fouet, quos inclyta virtus
Euehit inſignes factis & honore coronat.
Se volui cæno queritur contemnier atq;
Ludibrio exponi, & quod vitæ neſcio fatum
Cauſſatur, cur iam voto minus ipſe potiri,
Ceu prius aſſueuit, poſſit, diuosq; laceſſit.
Attamen ætatis manet hæc ſors vna ſenilis,
Vt fremat vt cœlum incuſet: peiora timere
Semper & ex alijs alias incurrere clades:
Ni pius anticipet ſeros ignobilis annos
Atropos, & cumulo vilem cum corpore famam
Puluereo premat ac æternis implicet vmbris.
Sic Venus & venerem mala concomitantia, luxus,
Ebrietas, rerum profuſio, & otia vitæ
Segnia condecorant qui ſe virtute relicta
Suſpiciunt, mirantur, amant ſemperq; ſequuntur.
Hic lapſus leuo rami de vertice cunctos
Expectat ſua qui ſubmittunt pectora rebus
Talibus, & ſanctè moniti reſipiſcere volunt.
Quos vero ad claros ducit dea Pallas honores,
Hi pueri pietate deum, pietate parentes
Complexi, virgæ patientes atq; laboris,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Per iuga Pegaſei qua fert via fontis ad vndas
Ire parant alacres: præceptorumq́ ſecuti
Mores, ſponte ſua ſtudijs incumbere cœptis
Aſſueſcunt: monitisq́ pijs pia pectora ſubdunt.
Hinc vbi ſuccedit florens ætate iuuenta
Otia deuitant, Veneris neq́ gaudia curant.
Quod ſi contingat fortaßis vt illiciantur
Caßibus Idaliæ (teneræ eſt via lubrica pubis)
Extemplo ſeſe expediunt & rumpere nodos
Illorum aduigilant: tum quo ſe fortius inde
Arment aduerſus blandæ certamina peſtis,
Dant operam aßiduis precibus, duroq́ labore.
Quæſitis parcunt, niſi cum pius exigat vſus
Indumentorum, librorum & de genere illo
Cœtera, quæ ſtudijs fas eſt impendere honeſtis.
Quod ſi paupertas premat vt plerumq́ videmus
Hanc miſeros iuuenes vt vix emergere poßint
Obruere, & triſti complexos voluere ſorte:
Non tamen abijciunt quos incepere labores,
Nec furto ſibi proponunt aut viuere rapto
Infami, ſtudioúe inhoneſto damna leuare.
Sed ceu ponderibus luctantia robora duris
Obuia palma refert, contraq́ inſurgit & omni
Non cedit depreſſa loco: ſic viuida virtus
Pugnat, & elato firmat ſe pectore in omnem
Euentum: nec ſe patitur ſuccumbere victam.
Perfert & ſperat: ſtudio commißa fideli
Dona fouet: domino committit cœtera ſoli.

Non

Non alio ad claram conſcendere tramite laudem
Conceſſere dij: ſuper hac quicunq; laborem
Molitur, nec in aduerſas obtendere moles
Pectora, cum primo ſuperos in vota vocarit
Suſtineat, laterem lauat, inq; charybdi
Difficili ſudat fruſtra, vireſq; fatigat.
Ferre decet quæ indigna putas grauioraq; ſemper
Expectare & opem rebus depoſcere egenis
Numina: dein duros etiam perferre labores
Noctes atq; dies: aliter non viribus vllis
Vincere nec fato poteris meliore potiri.
Aſpice quos ardens euexit ad æthera virtus,
Seu viuos dudum ſeu nondum lumine caſſos
Inſignes probitate viros: nonne omnibus vnum
Strauit iter pietas, qua raro trita labore
Semita difficiles præpandit in ardua greſſus?
Vel qui iam hic florent, ne longe exempla petantur
Conſpicui meritis & honore: quibuſq; iuuenta
Nititur ingenuas vt diſcat alacrior artes,
Heroas contemplator. fuit omnibus antè
Et labor & ſors aſperior ſuperanda ferendo,
Debita promeritæ quam ſunt data præmia laudi,
Virtutiq; decus. quod ſi venus aurea mentem
Illecebris aut deſidie fregiſſet inerti,
Inceptum & vitæ curſum impedijſſet honeſtæ:
Non illos quiſquam tam claro incedere honore
Cerneret illuſtres: aut in ſua commoda, diuis,
Inclyta queîs virtus eſt grata, fauentibus vti.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Quare qui ſapitis quorum & ſententia menti
Eſt melior, iuuenes, hunc cauti carpite callem
Virtutis, plenumq́ iter hoc vrgete laboris.
Pondera dura etenim ſancto Deus ipſe leuabit
Numine, firmabit vires: animumq́ miniſtret
Qui perferre volet patiens, & vincere lætus
Qualia ſors tandem rectis, inimicior auſis
Damna vehat, qualemue pijs remoram vnica cœptis
Obijciat, quantum aut conatibus obſtet honeſtis.
Quo facto placidam iuuat expectare ſenectam
Participem laudis veræ, famæq́ celebris:
Poſt cineres quæ maior erit, iuſtaq́ bonorum
Cenſura acquiret vires vitamq́ perennem.
Hæc ſunt quæ Samijs morum Myſteria ramis
Clauſa fuiſſe putem ſolerter: quæq́ volebam
Agreſti tenuis reſonaret arundine Muſa.
Quod ſupereſt. Deus omnipotens qui cuncta guber=
Numine diuino, Pater æterniq́ poteſtas (nas
Patris, Gnate Dei, pariter cum flamine ſancto
Adſis propitius nobis: peccata remitte,
Et quas peccatis pœnas meruiſſe fatemur
Condona pariter. tua ſupplice numina voto
Poſcimus, indulge miſeris, veniamq́ miniſtra
Nobis, qui petimus veniam accenſamq́ timemus
Iram, quæ terris cœloq́ horrenda minatur
Bella, famem, peſtem, & triſtes ſine nomine clades.
Vidimus & fontes & ſtagna virentia muſco
Vndas inſolito mirari ſanguine verſas,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Atq; diu proprios non internoſcere fluctus.
Vidimus ignotam nobis, vbi Caſsiopeia
Nocturnos inter micat ignes, aurea, ſtellam.
Vidimus & ſolem triſtari & condere vultus
Sepius illuſtres, quin te quoq; vidimus omnes
Cynthia, mutatam nigris ſqualere tenebris,
Et vix conſuetum mundo reuocare nitorem.
Hæ præter morem ſpecies propè tempore eodem
Exhibitæ, fati dant argumenta futuri,
Concurſumq; monent variorum inſtare malorum.
Sed quid ego inſtare hæc memoro? præſentia damna
Sentimus, miſeros vicinos Turcicus hoſtis
Auxilio populisq; potens, quos educat ortus
Aſſuetos arcu & leuibus certare ſagittis,
Hac premit & muros horum circumſonat armis.
Illa parte nocens, turcisq; ferocior ipſis
Gens Hiſpana furit, nimium gens peſsima, diris
Deuota in ſtygiam detrudi digna paludem.
Nos igitur quos tot ſurgunt immania contra
Signa, tot hoſtiles vultus, truculentaq; toruis
Ora oculis: qui tot mala, tot vaſtantia monſtra
Perq; agros, paſsimq; ipſas errare per vrbes,
Audimus, noſtrisq; inferre pericula rebus:
Anne quod aſtra docent pœnis præſentibus explet
Cœli opifex? & ſi supereſt ſanabile quidquam,
Admonet ex alio vitare pericula damno.
Peccatis angi & meritis vnius Ieſu,
Fidere conſtanter: morum emendare priorum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Errores veteri abiecta & reſipiſcere vita.
Quod cum ſpondemus miſeri & promittimus vltrò,
Ingenijq́ tui eſt media miteſcere in ira,
Placari fuſis contrito pectore votis:
Reſpice ſubiectos precibusq́ attendito noſtris.
Has auerte minas clemens, deme horrida bella
Triſtes fac morbi ceſſent, peſtemq́ famemq́
Arce, fatiferumq́ mori permitte venenum.
Pectora noſtra tuis da poſſe caleſcere flammis,
Et diuina tui myſteria diſcere verbi.
Doctores defende pios, myſtasq́ ſacrorum
Quiq́ ſcholas & templa regunt his ſemper adeſto
Præſens, hos ſanctam diuini flaminis auram
Suggere vt impoſitos valeant tolerare labores.
Nec minus hîc teneram quæ diſcit flecte iuuentam
Artium ad egregium ſtudium, & pietatis amorem.
Fac nos ſic vitam præſenti ducere ſeclo
Vt cum ſumma dies veniat, clangatq́ per auras
Angelus, & tumbis iubeat procedere apertis
Defunctos fato quos contigit eſſe ſupremo,
Cœleſtem duce te rediuiui intremus in aulam,
Spiritibus mixti æthereis, vbi gaudia vera
Carpemus, ſimul æterna te laude canemus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

1227.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 1227 4° (LN 978)